



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus Duodecimus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

ut significetur VIRGINIS excellentia, in qua tam gloriosè triumphat de hostibus communibus, D. Noster JESUS Christus: utque amatores JESU, & MARIÆ: piè exultando, glorientur cum Davide Psalm. 19. *In Nomine Domini nostri magnificabimur*, aut ex lectione Hæbreæ juxta Genebr. & Arriam *in Nomine, Domini nostri, vexilla erigemus.*



MODUS DUODECIMUS,

Symbolum aliquod grave ac magnificentum, figura item, aut Hieroglyphicon assumitur, & oratione tota tractatur: Porro tractandi modus, currit per explicationem Symboli, & per applicationem illius, ad rem symbolizatam: secundum partes, effectus, causas, & similia, ut ex symbolo figurave, doceamur, quid sentiendum sit, de re symbolizata, figurata, &c. Unde conciones imperfectæ, quæ orationi, lemna aliquod, aut picturam præfigunt: de quibus in decursu Orationis, aut nihil, aut vix verbum adferunt, per symbolum formatæ dici non possunt. Sunt ergo tantum oblectamenta ingenii, aut oculorum, non verò Cibus Orationis. Exemplum præcepti nostri posset aliquis formare die S. Thomæ Aquinatis ad illud Evangelii Matth. 5. *Vos estis Lux mundi*, dando id gloriæ D. Doctori, quod sit Lux, & quidem, nō minor quæpiam; sed Lux solis  
illud

illud interea sciscitando, quid novi esset, quod id ipsum significatura Ecclesia, solem, non circa imaginem D. Doctoris, non in manibus ejus, non supra Caput, sed in medio pectore pingi voluerit? Potest autem hac ratione significari primo, quod dixit D. Ambrosius: *Alia est sapientia operum, alia opus.* Sapientia operum, est tantum præscribens speculativè opera: Sapientia quæ est opus, est Practica & Sanctorum germana. Prior gaudet fulgere radiis, gestari manibus, splendere Capite, etiam cum Phaetonte mundum adusturo: Altera, Pectus possidet, quod merito osculatus dicas cum Parente Origenis, Filii pectus noctu deosculante, *Ave carum pectus, tabernaculum Spiritus Sancti.* Secundo potest significari Excellentia scientiæ, virtutumq; D. Doctoris: nam sol, in pectore constitutus, est sol medium hominis tenens, & quasi medium Cæli: quod cum obtinet, lucidissimus est. Die quo D. Doctor natus est, natus & D. Ambrosius Senenius & D. Jacobus, omnes ejusdem Ordinis. Visæ etiam in cælo, ipsa meridie tres lunæ, & vox audita. *Ad Scholas, ad Scholas.* O! in quam plenos istæ lunæ, mutatæ deinde soles? sed vicit cæteros, sol Thomæ, planeq; meridiem, in scholis Sapientiæ & sanctitatis obtinuit. Tertio potest significari utilitas scientiæ ejus & virtutum. Nam, dum sol medium Cæli obtinet, tã liberalissimè radios spargit, & mundo se comunicat, eiq; prodest. *Omnes de fonte publico bibunt, hoc est de pectore tuo,* ait Bern. ad Eugen. l. 5. verissimè id ad D. Doctoris pectus retuleris, quæ admodum & symbolum Herculis Tassii, qui solibus

ex reflexione per nubes apparentibus, adscriptit. *Quia respexit.* Nisi enim Thomæ sol respexisset innumera lux defuisset: adeoq; quos ut soles suspicimus, soles non fuissent. Similiter Dominica r. à Pentec. illa verba Luc. 6. *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est,* conferendo cum alijs, Matth. 5. *qui solem suum oriri facit, super bonos & malos.* Sole etiam, pro Symbolo divinæ misericordiæ assumpto, diceret: quemadmodum sol, omnibus se impendat: idq; gratuito & semper, nisi aliunde, quam à se ortis nubibus impediatur. Quemadmodum item orbi temporum vicissitudine subtractus, se restituat: nunquam sine spe revicturæ lucis condatur etc. quæ singula ad misericordiam DEI essent referenda, & inde ad misericordiam requisitam in Evangelio à nobis. Plena est Symbolis sacra scriptura, & abundant. SS. Patres gemini, ijdemq; abundantissimi, inventionum fontes. Nam Symbola Pontificum, Imperatorum Principum, magno delectu autoritatis & dignitatis pro fundamento orationis sumenda. Quodcunque autem Symbolum, aut Cujuscunque dum tibi arrideat, afferendum probandumque sumere, infra dignitatem rei est.

P R A X I S.

In Festo S. Josephi Sponsi B. Virginis  
M A R I Æ.

*Cum esset desponsata Mater ejus MARIA Joseph. Matth. 1.*

**A**ccessus & Confirmatio. Magnum ac Venerabile Nomen D. Josephi, ita auribus accidit:  
E ut

ut continuo in memoriam revocet, alium Josephum Patriarcham. Multis dotibus, prior posteriorem designat, posterior priorem prodit. Prosequitur utriusque comparationem Clarævallis Sanctus Abbas homil. 2. supermissus mihi inter eà unum statutum declarare, quemadmodum manipulus D. Patriarchæ, de quo ipse loquitur Gen. 27. expresserit dignitatem Sponsi D. VIRGINIS MARIÆ, per Evangelii quoque hodierni Commendationem insinuatam.

Confirmatio, à proposito & explicato, Symbolo manipuli Gen. 37. *Putabam inquit Patriarcha Josephus nos ligare manipulos in agro, & quasi si consurgere manipulum meum, & stare vestros manipulos circumstantes, adorare manipulum meum.* Verba hæc tres potissimum nominant Circumstantias, quæ & commendando D. Patriarchæ manipulo, & celebrandis D. Josephi Sponsi Virginis MARIÆ, laudibus deserviant. 1. Quod sit visus, ille manipulus, *ante alios, consurgere.* 2. Quod sit visus, *Stare.* 3. Quod sit visus, *Adorari.*

1. Igitur, *Consurgere* videbatur manipulus D. Patriarchæ per quod significabatur, eum fraude fratrum dejectum, & in opinione Patris mortuum, iterumque dolo impiæ foeminæ allisum, tandem ope divina surrecturum.

Simili multum ratione D. Nutritius, mundi iudicio dejectus, tamquam faber, & ex plebe unus sub contemptu jacuit: alte tamen assurrexit, cum dignitas ejus, illis Evangelij verbis per orbem

info-

insonuit. *Joseph fili David.* An enim hoc non est sublimiter surgere? in Throno Christi considerare, at thronus Davidis, Thronus Christi est. Sic enim Gabriel ad Virginem Lucae. 1. *Dabit ei Dominus, sedem David Patris ejus, & quidem ut probat Cornel. in Matth. thronus hic jure primogenituræ, Josepho debitus fuit. Gen. 41. Joseph Patriarcha, currum Pharaonis ascendere jussus, gloriosissimè per Ægyptum circumvectus est. Beatissimus D. Virginis Sponsus, non in curru solum; sed in Throno, altè hodie attollitur, nec in Throno Pharaonis, sed in Throno Christi, nec clamante præcone sed manifestante Orbi Angelo: Joseph fili David. D. D. Johannes & Jacobus Apostoli, cum petiissent à Christo, Throni Communionem, Matth. 20. idque non ejusdem, sed ut unus sederet à dextris, alius à sinistris: ad ulteriora merita sunt dilati. Præventus etiam est, & non solum non dilatus D. Joseph., ablato Throno Christi, ut vel inde conijceremus, quantus coram Deo fuerit; quem & hæredem throni David, & hæredem dignū, qui esset Pater, promissi Messia, adeoque illum, à quo successio Throni ad Christum derivaretur, Deus elegit: ut merito, D. Bomar, ubi supra, dixerit. *Plane filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione, & Hugo Card. supra illa verba Gen. 43. Filius accrescens Joseph, filius accrescens. Accrescens secundū virtutem, accrescens secundum dignitatem. 2. Visus est Stare, manipulus D. Patriarchæ, ad significandam solidā gloriam, D. Sponsi Mariæ, & nutritij Christi, nam**

con surgere quidem, & tantisper erigi, non rarum  
 est: at, *fortunam & dignitatem retinere atq; in oc-*  
*cupato vertice consistere, hoc verò fati Dominari est,*  
 inquit, morum insignis scrutator Plutar: Id verò  
 felicitatis evenisse, D. Nutritio Christi, testantur  
 illa verba Evangelij. *Joseph vir justus.* Quid enim  
 est esse justum nisi ante Deum stare: Omnibusq;  
 vitijs, constanter ac immotè Dominari, Omnes  
 scilicet, *virtutum species* teste D. Hieron. ad De-  
 met: *in uno justitia nomine continentur:* Hem non  
 pergit Sen: Epist. 120. *qui, modo frugi tibi vide-*  
*bimur, & graves modò prodigi, & vani: mutamus*  
*subinde personam, & contrariam ei assumimus* D.  
 Josephi perpetua laus est, *vir justus;* aut quod idem  
 est, juxta Bernar. loco citato, *vir virtutis.* De ma-  
 nipulo D. Patriarchæ loquens Lipom; in Genes.  
 ait, illic visum surgere, & veluti columnam stabi-  
 litum. Sic stetit Joseph Columna; non jam fulci-  
 endo solum Cælo, sed sustinendo sinu suo ipso Cæ-  
 lorū Domino par: Sic stetit Joseph, non erectus, ut  
 caderet; sed suscitatus, ut labentem Orbem, me-  
 ritis & officio sustineret. Sic stetit autem Joseph  
 quia vir justus. Ad Philip. 4. *Itaq; Fratres mei char-*  
*rissimi, gaudium & Corona mea sic state in Domino,*  
*quemadmodum stetistis immoti:* Supra quæ D. Au-  
 gustin de gratia Cap. 6. *Quid est ut stetis ni-*  
*si ut perseueretis?* Justissimus timor D. Pauli. Ar-  
 dua nimium res est, inter tot mundi tumultus sic  
 stare, quemadmodum semel constiteris. Infra  
 Virtutem tamen D. Nutritij cessit, quod tam ardu-  
 um censetur; Constitit Josephus, & perstitit, cui

Cœlum adscripsit, *vir justus*, id est ut sensu D. Hieron. progrediar: *Inconcussus, & semper vir unus* in I. Reg. Cap. I. 3. Visus est manipulus D, Patriarchæ adorari quod & impletum est Gen. 41. 43. clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent. Hæc dignitas D. Nutritio debita, exprimitur illis verbis Evangelij: *Cum esset desponsata Mater ejus MARIA, Joseph.* Quis enim non adoret quem sic Deus extulit? *O miranda prorsus sublimitas, tua Joseph.* exclamat Gerson: Ser. de Nativi: *O dignitas incomparabilis, ut Mater Dei, Regina Cœli, Domina mundi, appellare te Dominum, non indignum putaverit: An idem & Christus fecit? fecit Certè. Erat enim subditus illis.* Lucæ 2. D. Virgini ut Matri, D. Josepho ut Patri. Nec plura ad dignitatem D. Nutritij exaggerandam, aut cultum ei debitum, persuadendum exigas, dicebat olim Philippi Macedonis Orator. Hoc unum sufficiat dixisse, filium te habuisse Alexandrum. Rectius id nos dixerimus & gloriosius de D. Josepho. Hoc unum sufficiat dixisse, Filium te habuisse Deum, ut proindè eximias laudes & cultum terrarum Cælorumque merearis. Trinitas hæc quædam terrarum admirabilis, & divinæ imitatrix est, JESUS, MARIA, JOSEPH: dividi à se non potest & secundùm JESUM ac MARIAM D. JOSEPH, honorem Orbis sibi vendicat.



### MODUS DECIMUS TERTIUS.

**P**Lura Symbola, figuræ, Hieroglyphica assum-  
E 3
mun-